DE VERTIGINE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VII. M. NOVEMBRIS MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Joannes Henricus Philippus Oswald
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. MEYER, med. et chir. Dr.
H. MÜLLER, med. et chir. Dr.
W. JOERS, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS BRANDESIANIS ET KLEWERTIANIS.

PATRI CARISSIMO

J. HENR. CONR. OSWALD,

CHIRURGI URBANI MUNERE FUNGENTI ET OPERATORI APUD BEROLINENSES.

NEC NON

VIRO OPTIMO, HUMANISSIMO

GUILELMO CASTNER,

CENTURIONI EMERITO, PRAEDII EQUESTIS
DOMINO, CRUCIS FERREAE EQUITI,

AEQUE AC

VIRO NOBILISSIMO, HUMANISSIMO

ERNESTO SCHMIDT,

CENTURIONI PRAEFECTO ORDINI XII LEGIONIS
IX, QUAE NOMINE COLBERGENSIS FLORET,
EQUITI CRUCIS MERITORUM,

SORORIS DILECTISSIMAE MARITO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D

AUCTOR.

LITERATURA.

Galenus, De loc. affect. Lib. III. c. 8.
Hamburger, Diss. de vertigine. Tüb. 1589. 4.
Libarius, Diss. de vertigine. Jen. 1591.
Steinmetz, D. de vertig. Lips. 1599.
Scheibius, D. Quaest. de vertig. Lips. 1592.
Dan. Sennert, D. de vertigine Vitemb. 1610. 16. 4.
Eisenheim, D. de vertigine. Arg. 1637.
Schelhammer, D. de vertig. Jen. 1648.
Conringius, D. de vertigine. Helmst. 1650.
Dimmerbroeck, D. de vertigine. Jen. 1752.
Mangold, D. de. vertig. inprimis literator. Erford. 1673. 4.
J. A. Wedel, D. Aeger vertig. labor. Jen. 1682.
Arnold, D. de vertigine. Altd. 1688.
C. Vater, D. de vertig. Vitemb. 1698. 4.
Hahnemann, D. de vertigine. Hamb. 1706.
Eichner, D. de vertiginis genesi. Hal. 1758. 4.
A. Nicolai, Pr. de genesi vertigin. Jen. 1759. 4.
Ploucquet, D. de vertig. Tüb. 1783. 4.
Marcus Herz, Versuch üb. d. Schwindel. Berl. 1786.
— — in Hufeland's Journal. Bd. III. St. 3. Nr. 1.
P. Frank in Hufeland's Biblioth. d. pr. Heilk. 1824. II. 152.

Purkinje in d. mediz. Jahrb. des österreich. Staats. VI. 2. S. 79.

Brück, in Hufeland's und Osann's Journ. d. pr. Heilk. 1831. V. St. S. 98 ff.

Romberg, in Casper's Wochenschr. 1833. S. 1057.

V. Steiner, D. de vertig. vis. Vien. 1834.

V. Quadris, D. de vertigine. Ticin. 1834. 8.

J. Berger, D. de vert. Pest. 1835.

DEFINITIO.

Vertigo ea est affectio, qua is, qui hac laborat, vel se ipsum vel res externas in orbem verti et circumagi, aut in tremulo et velut undulato motu videre sibi videtur. Facultas igitur percipiendi res externas per visum hoc malo perturbata ac vitiata est.

Nomen vertiginis ductum est a vertendo, quoniam res externae vertiginoso verti tanquam in gyrum videntur. A Graecis nominatur haec affectio δῖνος [1]), id est, turbo, porro ἴλιγξ, s. ἴλιγγος, s. σκότωμα a verbo σκοτόω, id est obscuro, quoniam et visus sub isto malo obscuratur, s. σκοτωματικὸν πάθος [2]), s. σκοτόδινος, s. σκοτοδινία [3]). Inde apud Barbaros Scotomia dicitur. Nos quidem

1) Hippocr. de capit. vulneribus. XX. 4.

2) Apud Galen. De locis affectis. Lib. III. c. 8.

3) Hippocr. de prisca medic. Id. Aphor. IV. 17.

appellamus illud nomine Schwindel, ideo quod sub eo res externae cernendo tanta celeritate sibi succedere et tanquam volitare videntur, ut nullibi commorari, sed mox evanescere putentur. Nobis etiam dicitur: das Dunkelwerden, Schwarzwerden vor den Augen, a caligine, quae ob oculos vertigine correptorum obstare solet. Galli nuncupant Vertige, s. Tour noyement de tête; Angli Giddiness, s. A turning round; Batavi Drajing in 't hoefd, s. Suizeling, s. Zwymeling, s. Hoofd-zwymel.

DE PROPRIIS SIGNIS VERTIGINIS.

Priusquam ad naturam atque originem vertiginis persequendam nos accingamus, signa ea, quibus imaginem illius cernere possis, praemittamus necesse est. Cum incidit vertiginis accessio, quae per circuitus fieri solet, rarissime enim continua permanet, haec sunt ejus signa:

1. Res visae ita cernuntur, ac si in motu concitatissimo forent; et quidem aut rotari, aut de alto delabi, aut ab imo sublime ferri videntur.

2. Color rerum objectarum mutatur variis modis. Apparent enim vel viridi, vel coeruleo, vel variegato colore tinctae.
3. Firmis pedibus insistere non valet aeger, sed vacillat, titubat, ita ut metuat, ne plane concidat.
4. Dittopia singularum rerum, quo fit, ut aegri delapsuri sint.
5. Tinnitus, sibilus, strepitus aurium, ac si torrens ab alto cum impetu rueret.
6. Caligo vel tenebrae oculorum. Hanc vertiginem caliginosam vocant.
7. Concidunt tandem aegri, privati sensibus tam externis quam internis, et motu, et conscientia. Interdum et arteriarum pulsus exstinguuntur. Neque ullum sensus vestigium produnt aegroti, sed, terminata accessione, omnia quae, dum conciderent, circum se evenissent, confuse se audiisse affirmant. Hanc quidem vertiginem caducam dicunt. Gravissima profecto ea est, qua ne in sella quidem aut in lecto versari possunt aegri, quin rotationis ac circumversionis sensu continuo vexarentur, qualem Rittermann [1]) observasse vult.

---

1) Opp. omn. T. II. p. 243 seqq.

8. Accedit quoque per consensum nausea, vomituritio, et ipse vomitus.

Abire potest vertigo

a) aut in apoplexiam, quae potissimum in senibus crebro occurrit; aut

b) in epilepsiam, cui juniores maxime sunt obnoxii; aut

c) in paralysin; aut

d) terminatur accessio sopore cum stertore, sudore spumaque profluente, ex quo aegri sanati expargefiunt.

DE NATURA ET ORIGINE VERTIGINIS.

Atque de iis signis, quae vertigo prae se fert, satis diximus. Sequitur nunc ea dissertationis nostrae pars, quae in indaganda natura atque origine ejus mali, de quo agimus, versatur. Multum autem nostra interesse debet scire sententias varias illas ac diversas, quas hac de re protulerunt auctores, easque inter se comparare. Atque sedem quidem et locum hujus mali iam antiquitus recte collocarunt in cerebro plurimi auctores. Quod autem de istius natura suae quisque aetatis doctrinam physiologicam amplexatus est, quis est qui miretur

aut reprehendat? Nonne enim satis scimus, mortalium nemini fere, ac ne acutissimae quidem menti humanae licere extra hos cancellos egredi, quibus ipsum aetatis suae ingenium circumscriptum est? Zacutus [1]) quidem discrimen statuit inter vertiginem simplicem et caliginosam, quum haec ait: Vertigo etiam clausis oculis ingruit, et symptoma quoddam est depravatae imaginationis, judicantis moveri quiescentia, sed laesa corruptave imaginatio visionem non interturbat, ut patet in phreniticis et maniacis; neque in illa sita est causa erroris in videndo. Insufficienter igitur in vertiginis definitione jungitur tenebrositas hebetudoque visus. Denique cur fiet error et titubatio in visu, si oculus constat, medium et visibile? — Dic: aliquid supra vertiginem addit scotomia, visus nempe obscuritatem et tenebras, ideoque non simul imaginationis, sed et visus simul dicitur symptoma; vertigo imaginationis solius: fiunt autem prout mali causa in capite aut solum residet, vel in oculos simul inclinat. Atqui in vertigine caput et adstantia circumagi dumtaxat videntur; in scotomia simul cum capitis circumversione tenebricosa fit visio. — Nec vero cum quibusdam putes, in scotomia, erroris in videndo seu depravatae visionis

---

1) Opp. omn. T. II. p. 243 seqq.

causam in phantasia locari; cum enim non in ea, sed in oculo efficiatur visio, ibidem vitium situm esse credendum, et in praecipue illius parte, crystalloïde nimirum (!), vel quia animali spiritu illustratus non est, vel quia flatuosus vapor inordinata mollitione praeditus ante eum observatur, ac proinde destruitur nonnunquam repente visio, aliquando errat ac titubat. Junge, quod spiritus, humores, turbulento et inaequali motu in his affectibus moventur, vel in cavitatibus, aut venis, aut arteriis cerebri. Quare hic motus in causa est, ut rerum visibilium species in spiritu receptae repraesententur facultati imaginatrici, velut si emanarent a rebus, quae moventur: nam omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur, et necesse est (ut inquit Avicenna) ad hoc, ut de re visibili judicium feratur, res visas movere, aut oculum aut spiritum animalem; nam cum sentiens movetur, mutantur opposita, sicuti cum moventur sensata, sentiens mutatur. — — — — Si enim quidpiam uno tantum oculo spectemus, et eo repente clauso, altero inspiciamus, salire dicitur illud, et situm mutare, propterea quod mutatus est oculus videns. Sic et navigantium oculis quiescens littus creditur discedere, quia recedit visus. Quoniam vero in vertigine spiritus visorius, qui non medium in visione, sed agens est et instrumentum, circumvolvitur, ni-

hil mirum, si visa itidem in orbem ferri existimentur.

Simili modo Plater [1]) naturam causamque vertiginis in spirituum animalium conversione, praecipue ex vaporibus nata, qui ab aliqua corporis parte ascendant, ponit.

Sunt vero et alii, qui vertiginis domicilium esse in cerebro prorsus negant, sed in oculo ipso ponunt. Sic Ettmüller [2]) „causam vertiginis vulgo," inquit, „rotationem spirituum animalium in cerebro existimant, quod autem falsum cst; in oculis etenim fit ista rotatio, s. motus iste inordinatus, qui vertiginem infert. Nam visui res gyrari apparent. In organo ergo visionis necessario erit vitium, cum in cerebro non videamus. Nemo sane concipere potest, quomodo spiritus in cerebro gyratus vel rotatus apparere faciat res rotari extra oculum. Vertigo scil. fit in organo videndi, non in vidente ipso, uti neque in objecto viso, sed tantum in medio. Organum vero hoc est oculus." „Unde", idem pergit, dum res extra gyrari videntur, hoc fit in oculo, non extra oculum, vel in cerebro vel objecto externo. P. J. Faber in sua Pathologia uti in speculo, ait, dum commoveatur,

---

1) Praxeos med. T. I. p. 175 seqq.

2) Opp. omn. p. 428.

universa objecta moveri videantur, et si in gyrum rotetur speculum etiam ipsa objecta circumvoluti videri, sic in oculo, si in humore vitreo prope retinam fiat talis gyratio, vertiginis affectionem in corpore apparere videri. Et ipse Sennert [1]) eandem amplexatur sententiam.

Haec quidem opinio paucos invenit defensores, offensores multos. Quid mirum? Ipsa experientia contra dixit, cum probaret et clausis oculis vertiginem fieri, eamque ne coecis quidem parcere [2]).

Willis [3]) vertiginem simili modo definit et illustrat his ipsis verbis. Vertigo est affectio, ait ille, in qua objecta visibilia circumrotari videntur sentiuntque affecti perturbationem, seu confusionem spirituum animalium in cerebro, ut nervos non rite influant: quare facultates visivae et locomotivae saepe aliquatenus vacillant, ut laborantes corruant, et non varo a tenebris obfuscentur. In hujus paroxysmo observandum est, quod imaginatio et sensus communis quodammodo decipiuntur, dum objecta quiescentia moveri credunt, indicium vero rationale constat, nam errorem nostrum intelligimus, atque fallaciam istam spirituum animalium inordinationi statim adscribimus:

---

1) Lib. II. p. 3. sect. 1. c. 9.

2) Ephemerid. Germ. T. VI. p. 160.

3) Opp. T. II. p. 184.

quippe spiritus intra cerebrum scatentes, a solita irradiatione desciscere atque motus et sensationis munia, durante paroxysmo, non rite perficere, plane advertimus.

Neque Boerhaavium [1]) tacere licet, quippe qui spiritus animales abdicans, ut solet, praeclare hac de re ita disserit: Quaero nunc porro, ait, quenam sit sedes hujus mali? Respondeo, sedem illam esse in sensorio communi; non dico causam integram, sed ultimam affectionem, quando vertigo infestat, esse in hoc loco. Eruit hoc sequenti modo: nunquam fit ille morbus sine affectione visus, cujus organum perturbatur; afficitur enim in motu, quippe omnia objecta videntur semper rotari; hinc organa visus eadem ratione se habent, ac si objecta moverenter ante oculum: afficitur in colore, nam colores apparent coeruleovirides, et distinguuntur tamen objecta, nec totum objectum confuse circumvertitur, sed distincte cernitur; afficitur ipse oculus, sive fiat mutatio axis visus, vel oculi, vel retinae, nam apparet visus geminatus, ſuntque vel duo foci, vel duo objecta in uno foco; ultimo terminatur in tenebras, quae est mera visus affectio. Afficitur etiam auditus, nam conqueruntur de tinnitu, sibilo, bombo, de murmure aquae

1) Praelect. academ. de morb. nervor. p. 480.

quasi ex alto labentis in corpus elasticum, et de fremitu maris ad aures quasi appellantis. Hoc ipsum docet vacillatio, tremor, resolutio, lapsus; afficitur ergo etiam illa pars, quae affectionibus animi inservit; et quia omnes musculi vacillant, hinc afficitur sensorium commune in parte impetum faciente.

Cum vero spirituum animalium doctrina ipsa vacillare ac concidere coepisset, eorum loco successit nervorum fluidum illud, quod, motibus sensibusque exercendis, inserviens subtilissimum quoddam, igni et aetheri vel principio electrico simile, putabatur. Id ergo, quum perturbatum sit, esse auctorem vertiginis statuit Rittermann [1]).

Marcus Herz [2]) causam vertiginis in celerrima successione animi perceptionum positam esse arbitratur; hanc vero aut ex animo ipso originem trahere et mutationem cerebri nimiumque inpetum fluidi nervei efficere; aut nasci eam ex corpore et fluidi nervei nimio impetu. Hunc rursus tam ex internis corpori inhaerentibus causis, quam vi rerum externarum citissime sese excipientium posse exoriri. Quae cum frequentissimae utique evenire, soleant, fieri inde, ut his animus celerrimam quam-

1) Jac. Henr. Rittermann, Diss. de vertigine inprimis literatorum. Erford. 1763. 4. §. 2 et 7.

2) Versuch üb. d. Schwindel, 2. Aufl. Berl. 1791. S. 260 ff.

que successionem perceptionum, quas ipse efficit, imputare consueverit, eundemque igitur falli, cum judicat, rerum externarum conditionem esse talem, qualem sibi fingat.

At vero omnes, quas hucusque proposui, antiquiorum medicorum sententias praesenti scientiae medicae conditioni ac statui parum consentaneas esse, quis est, qui non intelligat? Quare et recentiorum medicorum et physiologorum sententias atque experimenta circa hanc rem instituta persequamur necesse est. Sedes quidem et origo vertiginis in cerebro, potissimum in cerebello ponenda sunt, licet et fieri possit, ut ex sensibus, praecipue ex oculis, ordiatur adque cerebrum propagetur. Id probatur hisce fere argumentis. Primum, quod etiam oculis clausis, et in tenebris, imo in ipsis coecis vertiginem evenire, exemplis compertum habemus. Tum ipsum munus officiumque cerebelli moderandi ac temperandi motus voluntarios, hanc sententiam admodum probabilem reddit. Deinde experimenta, quae Flourens, Rolando, Magendie, Hertwig in animalibus instituerunt, satis declarunt post laesionem cerebelli et medullae oblongatae motus vertiginosos ad arbitrium provocari posse. Atque etiam ex Observationibus, quas Purkinje [1]) divulgavit, satis elucet, vim electri-

1) Med. Jahrb. d. österr. Staates. VI. 2. St. S. 79.

cam vel Galvanicam per cerebellum perductam vertiginem movere. Et ipse J. P. Frank [1]) mulierem quandam, quae diu Scotodinia vexaretur, pluries affirmasse sibi refert, cum res quidem externas fixas neque, sicut se ipsam, rotari videret, sensum tamen illum, sub quo humum concideret, aperte inde ab occipite per scapulas, dorsum, lumbos, suras migrasse, ipsamque ita affectam fuisse, ac si cerebellum in posteriore cranii parte vacillaret.

Quod ad naturam vertiginis attinet, maxime probabile est, eam in sublata synergia, quam natura inter cerebri et cerebelli, maxime autem inter hujus hemisphaeria constituit, versari, ita ut, praevalente altero hemisphaerio prae altero, non sola conscientia perturbetur, sed etiam organa sensus motusque sic afficiantur, ut desiderio quodam ad varios movendi modos inordinatos petendos compellantur [2]). Id quoque experimentis probatur. Etenim Magendie et Hertwig auctores sunt, ex incisione et laesione sinistrae partis pontis versionem ad idem latus fieri et vice versa. Altera vero pontis parte incisa, rotationem desiisse. Idem evenit post incisionem crurum cerebelli et medullae ob-

---

1) Opusc. post. Vien. 1824. p. 235.

2) cf. K. W. Stark, Allgem. Pathol. od. allgem. Naturl. d. Krankh. Leipz. 1838, Abth. II. S. 1331.

longatae. Ademto utroque corpore striato, desiderium incompescibile antrorsum fugiendi excitatur. Laeso utroque latere cerebelli et medullae oblongatae, impetus antrorsum se movendi exoritur [1].

Romberg [2]) causam naturamque vertiginis in hyperaesthesia quadam nervorum sensiferorum, qui ad musculos pertinent, ponit, et quidem aut in periphericis aut cerebralibus terminis eorum. Ingeniosissimus Stark [3]) probat quidem modo hanc modo illam subesse causam, ita tamen, ut ultima denique causa in nervorum principii propagatione non omnibus tamen ex partibus expedita, versetur.

Etenim aliquid in cerebro sub vertigine moveri, quod movendi leges physicas sequatur, ex eo efficitur, quod ex motu corporis totius vel solius capitis concitato ad alterutrum latus versus, gignitur vertigo, quae rursus continuo tollitur, ubi versio prior in alteram contrariam conversa est. Prae omnibus vero documento sunt experimenta a Purkinjeo facta, quippe quae ostendunt, sicuti caput aut rectum, aut planum, aut obliquum aut proclive sub versione sese habeat, ita motus vertiginosos variam directionem sequi.

---

1) Ibid.

2) In: Caspers's Wochenschr. Jahrgang 1833. Bd. II. . 1061.

3) l. c.

Et ipsa visa ac reperta in cadaveribus vertigine defunctorum illius, quam proposuimus, sententiae testes existunt. Gall [1]) in vertiginosa muliere quadam, 40 annorum, quum ejus cadaver secaretur, tumorem duorum digitorum longitudine tentorio insidentem et cerebellum comprimentem invenit. In alio casu vertiginis cerebellum exulceratum fuit. Lallemand [2]) exemplum viri cujusdam, annos 46 nati, prodidit, qui ex integro anno vertiginem et vomitum et dolorem obtusum sub osse frontis passus est, ingressu vacillante, periculo antrorsum delabendi saepius vigente. Sectio cadaveris cum institueretur, cerebellum dimidiatum in humorem saniosum, fusco colore, odore foetido, mutatum visum est.

Atque etiam Stark [3]) hunc prodit casum. Mulier quaedam post apoplexiam, qnam perpessa erat, vertiginem creberrimam et amnesiam retinuit, ita quidem, ut inprimis vocabulorum memoria in ea infirma esset. Aliquot post annis rediit apoplexia funesto cum exitu. Cadaver cum secaretur, praeter alia cerebri vitia gravissima, lobus hujus sinister anticus aliquanto minor apparuit, medius vero ejus-

---

1) Fonctions du cerveau etc. T. III. p. 341.

2) Recherches anatom. patholog. sur l'encéphale etc. T. II. p. 39.

3) l. c.

dem lateris emollitione correptus, corpus striatum eodem latere dimidiatum atrophia consumtum, altera ejus dimidia pars emollita; thalamus nervorum opticorum ejusdem lateris item atrophia consumtus et emollitus. Altera mulier, idem auctor est, 24 annos nata, vertigine caduca ita laboravit, ut ne duos quidem passus, quin concideret, procedere valeret. Mox accessere amaurosis, surditas, cephalalgia acerbissima, mentis alienatio, quae tamdiu permanebant, donec mors miseriae tantae et longinquae finem tandem fecit. Sectio cadaveris exhibuit tumorem medullarem sarcomatosam, magnitudinem pomi aurantii aequantem, qui, a poro acustico interno exorsus, inter cerebrum et cerebellum situs erat, hujus membranis inclusus atque per easdem cum sinistro cerebelli hemisphaerio cohaerens, cui tantopere impresserat, ut cavea tumori illi aequalis fieret.

C A U S S A E.

De caussis vero remotis haec notanda sunt. Vertigini maxime obnoxii sunt homines habitu apoplectico praediti; feminae magis opportunae sunt huic malo quam mares; senes magis quam juvenes; atque etiam in infantibus illam evenire auctor est Celeberr. Romberg [1]).

---

1) l. c.

Caussae excitantes s. occasionales sunt aut mechanicae, aut dynamicae, aut sympathicae. Ad causas mehanicas referenda sunt: tumores, hydatides, sanguinis effusiones extra vasa, seri accumulationes in cerebro, maxime in cerebello, vel ponte Varolii, Commotio cerebri per ictum, lapsum, vulnus afflictum (Vertigo traumatica Jos. Frank, Herz) [1]). Caussis dynamicis adnumeranda sunt: successio nimia aut rerum visibilium aut sonorum, praecipue fragorum, aut cogitationum et perceptionum, odores acerrimi, efficacia Columnae Voltanae in cerebellum (Vertigo plethorica, V. a pleth., Jos. Frank, Herz) [2]), Encephalitis (Vertigo inflammatoria, Jos. Frank); deinde etiam inanitio humorum cerebri, ex magna sanguinis jactura, vel seminis praesertim per manusturpationem (Vertigo ab inanitione Herz) [3]), a longiore lactatione vel post ubusum purgantium; Venena narcotica; animi affectus; nimiae mentis contentiones.

Ad causas sympathicas pertinent: nervi sympathici perturbationes, quae per nervum vagum ad medullam oblongatam propagantur, sicut in nausea, inedia, porro ex sordibus gastricis (Vertigo gastrica) ex vermibus intestinalibus, ex graviditate,

1) l. c. p. 401.

2) l. c. p. 402.

3) l. c. p. 409.

arthritide, hypochondriasi, hysteria (Vertigo arthritica, hypochondriaca, hysterica); ex exanthematibus retropulsis, ex Plica Polonica (Vertigo plicosa. J. Frank). Pro ceteris aliis valetudinibus, quibuscum sese conjungit interdum vertigo, statuitur a Jos. Frank etiam: vertigo catarrhalis, rheumatica, scorbutica, venerea, mercurialis.

PROGNOSIS.

Ad praesagiendum vertiginis eventum semper caussae, quae huic subsunt, respiciendae sunt. Quae si facile removeri possunt, vertigini bonum est augurium. Quare quae ab congestione sanguinis, quae ex perturbationibus in digestionis organis, velut primarum viarum cruditate, flatibus, dolore colico, alvo adstricta dependent, eae periculo vacant. Neque enim raro fit, ut vomitus per se ortus, vel profluvium sanguinis e naribus sponte sua natum, continuo malo illi medeantur. Eae igitur vertiginis accessiones, quae in hypochondriacis et hystericis eveniunt, et quae omnino non nisi leves evadunt, non admodum erunt extimescendae, nisi forte diu continuant [1]).

---

1) Gruner, Semiotice. §. 462.

Potest vero et in apoplexiam et paralysin abire; in juvenibus [1]) in convulsiones et epilepsiam; in senibus lethargum et omnino affectiones soporosas inducere.

C U R A.

Singulae cujusque vertiginis generis naturae curam accomodandam esse, facile liquet. Vertigo scilicet plethorica, quae quidem frequentissima est, methodum exigit antiphlogisticam simulque evacuantem ac derivantem. Debet igitur sanguis mitti, nitrum porrigi, alvus solvi, victus tenuis adhiberi. Neque hirudinum applicatio negligenda est. Victus e carne laetus ususque spirituosorum liquidorum evitentur admodum necesse est. Ut sanguis a capite defluat ad alia inferiora corporis loca, et pediluviis, vel manuluviis, clysmatibus derivantibus utendum est. Et aquae frigidae superfusiones valde conveniunt, testibus medicis experientissimis. Quodsi sanguinis ad caput congestio in suppresso fluxu menstruali vel in haemorrhoidibus cohibitis originem habet, valde juvabit sangui-

---

2) Lieutaud, Précis de la Med. pract. T. I. S. 1. p. 194.

nem e pede mittere, quo sanguis et corpori omnino, ideoque cerebro turgescenti, detrahatur, et cursus ejus inferiora versus dirigatur. Qua de causa parcas venaesectiones pluries iteratas esse anteponendas uni eique largae sanguinis detractioni, cum Herzio [1]) censemus. Deinde aptis remediis efficiendum est, ut fluxus menstrualis vel haemorrhoides eliciantur.

Vertigo contra ea, quae est ab inanitione, quemadmodum natura, ita etiam medela, priori prorsus opposita est ac contraria. Haec methodum roborantem desiderat. Quare Arnica, Valeriana, Cortex chinae, victus nutriens, inprimis e carne, magnopere laudabiles sunt.

Vertigini verminosae methodus anthelminthica opitulatur. Cum vermes intestina incolunt, remediis anthelminthicis facile expelluntur. Cum vero sinus frontales obsident, curatio ardua est. In ejusmodi casu, vapores aquae ferventis naribus immissos fecisse, ut vermes illinc ejicerentur, auctor est Herz [2]).

Vertigo ex exanthematibus retropulsis poscit, ut haec revocentur, quod remediis derivantibus in cutem, ulceribus arte factis, ut fonticulis et setaceis, efficere licet.

---

1) l. c. p. 406.
2) l. c. p. 418.

Vertigini abdominali s. hypochondriacae s. hystericae ita succurrendum est, ut caussae omnes, quae morbum principalem provocant augentque, inprimis vita sedentaria, evitentur. Tum remedia resolventia valde expediunt. Ex fontibus medicatis summis laudibus efferuntur Aqua Kissingensis, quae et ea virtute praestat, quod nullas ad caput sanguinis congestiones movet, et Aqua Mariaebadensis, Carolibadensis.

Reliquarum vertiginum, ut arthriticae, scorbuticae, plicosae, cura cum morborum principalium cura prorsus congruit, quam fusius persequi non hujus loci est.

VITA.

Natus sum Joannes Henricus Philippus Oswald, Berolini, d. XXX. m. Aprilis A. MDCCCXIV, patre optimo Joanne Henrico Conrado Oswald, chirurgo medico, matre carissima Carolina e gente Stein, quos adhuc vivos ut diu conservet Deus Optimus Maximus precor. Confessioni addictus sum evangelicae. A teneris usque ad annum aetatis decimum tertium a parentibus et in schola publica educatus, Gymnasium adii Leucophaeum Berolinense, quod Directore Cel. Bellermann illo tempore florebat. Brevi post gubernacula Gymnasii Beato Köpke tradita sunt et sub hujus Ill. Viri auspiciis Gymnasium per octo annos frequentavi. Examine rite absoluto, maturitatis testimonio instructus, tempore auctumnali a. MDCCCXXXV. ab Ill. Steffens, t. t. Rectore magnifico, in numerum Civium Almae Literarum Universitatis Borolinensis receptus, apud spectatissimum t. t. Facultatis

THESES.

1. Trepanatio praecox valde periculosa est.
2. In operatione hydroceles punctio saepius incisioni praeferenda est.
3. Ligatura arteriarum in universum torsioni praestat.
4. Medicus observationem solam sequatur; philosophiam caveat.
5. Induratio quaevis vera mammae operationem indicat, ita quidem, ut exstirpatio amputation[i] praestet.
6. Gangraena non semper amputationem vetat.
7. Hydrocephalus chronicus indicat operationem.